

pro Ordinibus suscipiendis extra Monasterium missi fuerint, cum Novitiorum Magistro, vel eo impedito, cum altero Monacho gravi, a Priore designando, & in itinere sub sint, precise transmittantur.

Extravagans III.

In singulis Monaster. Lectio S. Scripturae, & casuum conscientie habenda.

§.291. In singulis nostris Monasteriis lectio Sacrae Scripturae, aut casuum conscientiae juxta antiquam nostri Ordinis consuetudinem, praescriptumque Sacrosancti Concilii Tridentini, habeatur, cui assistere debeant omnes Monachi non impediti, viginti annos a receptione Habitibus completos non habentes: alias nisi interveniant, culpam in Refectorio vel Capitulo dicere teneantur; stricteque injungimus Prioribus & nostris Visitationibus, quod lectionem hujusmodi in Monasteriis sedulo teneri diligenter procurent, eamque omittentes vel negligent Priores aut Lectores debite coerceant. Prior vero cum Deputatorum consilio pro hac lectione tenenda Monachum habilem designet; & qui saltem per tres annos in nostris Collegiis Sacrae Theologiae vacaverit, qui Lector Sacrae Scripturae nominetur, & a Festo Sancti Patris nostri Hieronymi usque ad natalium S. Joannis singulis diebus non impeditis legere teneatur, ipsique conceditur exemptio a Choro, exceptis diebus, quibus celebrat Prior, vacationibus, aliisque functionibus juxta Monasteriorum consuetudines, & nostras Constitutiones.

Extravagans IV.

De Collegialium electione.

§.292. In nostris Collegiis & electione Collegialium omnino serventur sequentia, videlicet: Collegiales nullatenus eligantur aut mittantur per favorem, preces, aut supplicationem secularium, sed attentis dumtaxat sufficientia, ingenio, & meritis Monachorum.

Qui non eligendi.

Non eligantur in Collegiales, qui quatuor annos ab habitu recepto non compleverint, in quo Pater Generalis absque magna & urgente necessitate non dispenset.

Pater Generalis nullum Monachum mittat ad Collegium in casu, quo ejus consanguinei Genitores aut propinqui expensas, studii tempore, in Collegio faciendas persolvere velint, nisi praehabita informatione a Priore & Deputatis, si sit habilis & sufficiens, qualitatibusque ad Collegium requisitis sit ornatus.

Monasteria secundum uniuscujusque possibilitatem ad Collegia Monachos habiles eligere & mittere procurent; alias P. Generalis, prout sibi expediens visum fuerit, super hoc provideat.

Prius examinandi.

Statim ac Collegiales electi ad Collegium accesserint, ad dispositionem & mandatum Patris Generalis examinentur, & nisi de eorum sufficientia habilitate & virtute in examine confiterit, non recipiantur, ad suaque Monasteria remittantur.

Toto studiorum tempore Collegiales in Collegiis perseverent, quin ex illis ad Passantias in vacationibus egrediantur; & pro victu

totius anni Monasteria propriae Professionis nonaginta ducatos monetae Castellae pro singulis Collegialibus Collegio solvere teneantur & insuper Collegialibus vestimenta & calceamenta necessaria subministrare expensasque itinerum sive ad ordines suscipiendos sive transitus de uno in aliud Collegium ipsis persolvere debeant.

Si contingat Genitores vel Consanguineos Collegialis expensas tempore studii factas vel faciendas Collegio persolvere, Monasterium cujus dictus Collegialis est Profusus quadraginta ducatos monetae Castellae ratione Passantiae ipsi vel Collegio persolvere & satisfacere teneatur, nisi aliter conventum fuerit.

Collegiales singulis annis ab Examinatoribus in cujuslibet Collegii Constitutionibus designatis examinentur & approbentur exceptis adstantibus Universitatis Salamantinae & hac examina a die sequenti festum S. P. N. Hieronymi, usque ad festum Sancti Lucae fiant & compleantur: quique in illis insufficientes & inhabiles reperti fuerint seu inquieti aut in moribus incomperti a dictis Examinatoribus non approbentur.

Qui propter eorum demerita a Collegio expelluntur, eoque in examine privantur seu qui justa causa vel necessitate non interveniente Collegium renuntiaverint ad eundem statum in quo erant, quando ad Collegia missi sunt revertantur & redigantur, itaut si tunc erant sub disciplina Magistri ad eandem redire debeant tempore Residentiae in Collegiis minimè computato ut ab illa liberentur.

In quolibet Collegio designetur a Priore vel Rectore Novitiorum Magister sub cuius disciplina omnes Collegiales tam Philosophi quam Theologi per sex annos ab habitu recepto iubeisse debeant: Praedictus vero Magister Collegiales ita in actibus Religionis & mortificationis exerceat; ut quatenus fieri possit observantia Regularis in Collegiis conservetur.

In omnibus nostris Collegiis & studiis ex antiqua & inviolabili consuetudine nostri Ordinis tam in Philosophia quam in Theologia Doctrina Sancti Thoma Aquinatis, prout hic usque laudabiliter actum fuit, imposterum omnino doceatur & teneatur, neque Lectores defendere subscribere aut typis mandare Conclusiones, quae dictae Doctrinae non sint conformes aliquo modo audeant, alias a Patre Generali puniantur.

In dictis Collegiis (excepto Collegio Sancti Laurentii Regalis) incipiat cursus & lectura a die immediate sequenti festum Sancti Lucae, termineturque in immediate praecedenti Dominicam Penthecostes. Ab hac vero die usque ad festum Sancti Laurentii quotidie festivis & feriatis diebus exceptis ab hora nona usque ad decimam matutinam Collegiales ad invicem in argumentis & repetitione lectionum se exerceant, & a dicta hora decima usque ad undecimam conferentiam habeant; cui PP. Lectores Theologiae quilibet in propria materia alternative praesidere teneantur; Philosophiae vero Lectores simi-

Quolibet anno examini subijcendi.

Præne expulsi.

Novitiorum subdendi Magistro.

In omnibus Scholis Ordinis legendum juxta Doctrinam S. Thomae.

De tempore Lectionum.

similiter eum suis unusquisque Discipulis. Sin vero ex aliqua justa causa hujusmodi exercitia de mane habere non possint, vespere peragere teneantur hora assignanda a P. Lectore, qui praesidere tenetur.

Dies seriales, sicut & vacationes ab exercitiis literariis, a die Sancti Laurentii usque ad festum Sancti Lucae, in Natali Domini, & Bacchanalibus juxta uniuscujusque Collegii Constitutiones, Collegialibus concedantur.

In nostro Collegio Abulensi legatur cursus artium, dumtaxat per triennium, & in ipso existant & terminetur, atque Collegiales, qui cursum hujusmodi triennalem peregerint, ad Collegium Salmantinum Theologiam audituri pertranseant. Pariter Lector Theologiae in Collegio Seguntino superadditus conservetur, in quo etiam unus existat Monachus Passans, & duo sint in Abulensi Collegio, quibus duobus Lectoribus Monasteria Professionis de Vestitario & necessariis providere teneantur.

Ad Lecturas & Cathedras nostrorum Collegiorum providendas hac forma serventur, videlicet, per oppositiones provideantur, quae praecedere debeant tam ad lecturam & cathedram artium, quam ad transitum ad lecturam & cathedram Theologiae. Qui vero cathedram Theologiae jam ascenderit absque ulteriori oppositione superioribus gradatim provideantur & gaudeant.

Hujusmodi oppositiones fieri debeant coram Patre Generali, quibus duo Lectores Theologiae vel actuales vel Jubilati, ab eo designandi, assistant, qui Oppositoribus materiam ad lectionem de more preparare teneantur, hac forma nimirum: Ad lecturam Philosophiae, ex Logica, Physica, aut Methaphysica: Ad lecturam vero Theologiae, ex Magistro Sententiarum. Oppositionis Lectio per horam duret, & per alteram argumententur duo ex oppositoribus, quilibet per dimidiam horam. Sin vero Oppositores non adsint in competenti numero, P. Generalis pro sui arbitrio argumenta provideat: Oppositionibusque completis, digniores ad Cathedras eligi debeant.

Pro eligendis etiam Actuantibus in nostro Collegio Salmantino servetur hic ordo, nempe: ut Patres Lectores proponant Rectori dicti Collegii tres aut quatuor Collegiales, ad actus Collegii tenendos habiliores & digniores, ex quibus Pater Rector necessario Actuantes eligere debeat: Pro actibus vero publicis in Universitate tenendis dictus Pater Rector & Lectores ad electionem singulorum Actuantium procedant per suffragia secreta, & qui majorem suffragiorum numerum obtineat, electus in Actuantem declaretur; Sin vero praedicti Electores in aequales partes dividantur, devolvatur electio ad Patrem Generalem, qui attentis informationibus, secundum ejus conscientiam habiliores & digniores eligat in Actuantes.

Expleto tempore Studii & Collegii, Collegiales tam in propriis Monasteriis quam in alienis examinantur a Laudibus, omnibusque Horis Canonice dicendis ante prandium, ex-

Cursus Philosophicus quolibet constitutus anno.

Quomodo Cathedrae, Lecturae, & quibus de Monachis provideantur.

De electione Actuantium in Collegio Salmantino.

Exemptiones illi, qui studii tempore expleverint, concedenda.

ceptis Missa & Vesperis Festivitatibus majorum in Quaresima per tres annos sequentes egressum a Collegio; intra quod tempus vel saltem infra annum immediate sequentem, coram Ordinario Dioecesano se cum sui Prioris licentia praesentare, & ad audiendas Confessiones ab eo licentiam obtinere teneantur; dicto vero tempore transacto, nulla alia gaudeant exemptione, nisi dierum octo, pro quolibet sermone ab ipsis praedicando concessa.

Recente a Collegiis & Studiis egressi non possint eligi in Priores, nisi completo sexennio, nec in Vicarios, Procuratores temporalium, aut Magistros Novitiorum, nisi elapso quadriennio: Nec in Procuratores Capituli Generalis, nisi transacto etiam triennio, postquam completo Studio, a Collegio egressi fuerint. Caveat denique P. Generalis, ut sine gravissimis urgentibusque causis super his non dispensetur.

Extravagans V.

§.293. Electio Collegialium fiat a Priore & Deputatis per vota decisiva & secreta de Personis habilibus & benemeritis, & canonice concludatur per majorem saltem partem suffragiorum; quod si vota aequalia fuerint, Prior nominet unum ex antiquioribus Monachis Monasterii, qui cum voto suo electionem faciat.

Collegialium electio a Priore per vota secreta facienda.

Extravagans VI.

§.294. Collegiales, durante tempore suorum studiorum in Collegiis, non habeant votum in suis Monasteriis, etsi intra viginti quinque leucas commorentur; & ad majorem abundantiam votum renunciare debeant & teneantur, antequam ad Collegium proficiantur.

Collegiales studiorum tempore voto suis in Monasteriis careant.

Extravagans VII.

§.295. Lectores Philosophiae postquam legerint per tres aut quatuor annos juxta consuetudinem Collegiorum, ipso facto vacent a sua lectione, prout etiam Passantes. Ut vero transeat ad lecturam & Cathedram Theologiae, faciant oppositiones, ut supra ordinatur.

Lectores, & Passantes post tres aut quatuor annos vacent.

Extravagans VIII.

§.296. Collegiales nostri Collegii Salmanticensis per quatuor annos studio Theologiae vacent in dicto Collegio.

Extravagans IX.

§.297. Collegialibus non dentur licentiae praedicandi ubique, nisi transactis tribus annis, postquam exierint a Collegiis, id petentibus suis Conventibus, qui prius hoc decernerent per suffragia secreta, & praecedente examine de ordine P. Generalis.

Collegialibus praedicandi ubique non danda licentia nisi post tres annos ab egressu a Collegio.

CONSTITUTIO LIII.

Quomodo & quando poterant Monachi nostri Ordinis predicare, & audire Confessiones.

Monachi extra Ecl. Ordinis sine Generalis licentia predicare nequeant.

§.298. Extra Monasteria & Parochias Ordinis nostri nullus Monachorum audeat absque Capituli Generalis aut Patris Generalis licentia predicare; nec detur talis licentia nisi illis, qui per Patrem Generalem, vel per Deputatos ab eo, aut a Generali Capitulo examinati fuerint diligenter. Et nihilominus cum tales velint predicare, debent ad id suorum Priorum licentiam obtinere. Præterea, Prior vel Monachus, qui Personarum extra nostrum Ordinem cum legitima facultate Confessiones audierint, debent circa eas taliter se habere, quod Animarum salus & Dei servitium augeatur.

Extravagans I.

Et post habitam ab Ordinario licentiam.

§.299. Nostri Monachi ad prædicandum in Ecclesiis, quæ nostri Ordinis non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum a Constitutione præscriptam, juxta Sacrosancti Concilii Tridentini dispositionem etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in prædictis Ecclesiis, quæ non sunt nostri Ordinis, nullatenus predicare possint. Ad prædicandum vero in Ecclesiis nostri Ordinis cum sui Prioris licentia, personaliter se coram Episcopis præsentare, ab eisque benedictionem petere teneantur, antequam predicare incipiant.

Extravagans II.

Pro sermone prædicando octo diebus; exemplum.

§.300. Pro quolibet sermone prædicando singulis Prædicatoribus concedatur, prout hæcenus fuit continua praxis nostri Ordinis, exemplum a Choro per octo dies præcedentes; exceptis Festis, quibus ad Missam & Vesperas, & in solemnioribus celebrandis a Priore ad Matutinum accedere teneantur, nisi eadem die sint prædicaturi; necnon ad Processiones pro Defunctis, Antiphonam Beate Mariæ post Completorium, & Litaniam in Sabaithis.

Extravagans III.

De examine Confessario.

§.301. Nullus Monachus possit audire Confessiones aliorum Monachorum nostri Ordinis absque licentia & facultate Prioris Monasterii, ubi residet, exercereque Confessio debet; etiam si alterius Prioris licentiam ad audiendas Confessiones suorum Monachorum obtineat. Priusquam vero dicta licentia Monacho concedatur, examinetur diligenter per Priorem & Deputatos, seu per alios a Priore deputandos; & nisi post eorum approbationem tam in scientia quam in virtute & prudentia, ad hujusmodi ministerium requisitis, nullatenus concedatur; possitque dictum examen, quoties Priori visum fuerit, reiterari; & Monachis, qui idonei non reperiuntur, licentia

data suspendi, vel omnino auferri debeat: exceptis Prioribus absolutis, Visitatoribus, Diffinitoribus, Lectoribusque Theologiæ, qui prædicto examini pro obtinenda licentia subiaci non debeant, sed omnino idonei reputentur.

Extravagans IV.

Monachus præsentare se non debeat Episcopo nisi de consensu, & post examen sui Prioris.

§.302. Nullus Monachus possit Confessiones sæcularium audire, nec per Bullam Sanctæ Cruciatæ ad eas audiendas eligi, quin prius de sui Prioris licentia Episcopo præsentatus, ab eoque examinatus, vel aliis idoneis judicatus, ad Confessiones audiendas in illius Diocesi licentiam obtineat. Nullus præterea Monachus ad hujusmodi licentiam obtinendam Episcopo se præsentare audeat, quin prius per suum Priorem & Deputatos diligenter examinetur & approbetur, licentiamque in scriptis ad hujusmodi præsentationem a dicto Priore obtineat. Qui vero aliter coram Episcopo seu Ordinario se præsentare, ab eoque licentiam ad Confessiones audiendas obtinere præsumperint, ejusdem licentiæ usus suspendatur, donec Pater Generalis eam uti concedat. Injungitur vero Visitatoribus Generalibus, quod prædictas licentias in Visitatione Generali videant & examinent, & quas lubreptitie obtentas sine prævia Prioris licentia invenerint, rumpant & lacerent; Monachique, a quibus obtentæ fuerint, debite puniantur.

Extravagans V.

Monachi non gaudent privilegio Cruciatæ pro casibus reservatis.

§.303. Monachi nostri Ordinis non possint eligere virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius Privilegii, Confessarios, qui illos absolvant a casibus reservatis per suos Superiores; sed necessario & præcise uti debeant altero eorum, qui a dictis Superioribus ipsis fuerint ad id specialiter designati.

CONSTITUTIO LIV.

Quando haberi debet Capitalum culparum.

Qualibet VI. Feria Capitalum culparum tenendum.

§.304. Omnibus sextis Feriis per annum in quolibet Ordinis nostri Monasterio culparum Capitalum teneatur. Ex causa tamen, quæ Priori expediens videatur, poterit ad alium diem differri, aut totaliter dimitti.

Extravagans I.

§.305. Priores culparum Capitalum, prout ipsis expediens videatur, habere possint, quamvis Visitatores Generales vel speciales in actu Visitationis suorum Monasteriorum existant; dum tamen suis Monachis poenitentias coram dictis Visitatoribus adimplendas non imponant, quia dictis Visitatoribus ipsas prius notificent.

Extra-

CONSTITUTIO LVII.

De penis impostis illis, qui appellant a Judicibus Ordinis.

Extravagans II.

§.306. Nullus Monachus in culparum Capitalo proclamare, aut zelare aliquid possit, nisi post quindecim aut viginti annos a receptione habitus completos, juxta Monasteriorum consuetudines. Si vero ante prædictum tempus completum ipsos premat conscientia de aliqua re gravi, Capitulo præcise revelanda & manifestanda, loquantur breviter flexis genibus, & non aliter.

CONSTITUTIO LV.

De penis impostis contra illos, qui obtinent gratiam aut favorem contra Statuta Ordinis.

§.307. Gratiam aliquam seu rescriptum contra nostras Ordinationes seu Constitutiones nullus Prior vel Monachus seu Conventus nostri Ordinis, conjunctim vel divisim, a quocumque, sine licentia Generalis Capituli audeat impetrare; qui contra fecerit graviter puniatur. Insuper renunciare tali rescripto vel gratiæ teneatur; necnon eidem, donec renunciaverit, Ordinis communio denegatur. Et nihilominus ex parte Ordinis notificetur Domino, tale rescriptum vel gratiam concedenti, præjudicium, quod exinde nostro fit Ordini, ut super eo providatur de remedio opportuno. Salva tamen in præmissis obedientia & reverentia debita Sanctæ Sedi, ejusque Apostolico Legato.

CONSTITUTIO LVI.

De penis contra illos, qui extrahunt negotia, & lites Ordinis extra illum.

Particulæ Monachorum querelæ extra Ordinem non ferendæ.

§.308. Quando scandalum, sive dissensionem, vel quælibet querelæ inter Monasteria vel Personas nostri Ordinis oriuntur, extra Ordinem nunquam exeant; sed intra Ordinem, & per Personas Ordinis discrete topiantur secundum Ordinis unitatem; Qui contra hoc venire, & ad aliam audientiam citare vel appellare præsumperit, eo ipso communio sibi Ordinis denegatur; donec humiliter satisfecerit ad arbitrium Patris Generalis, aut Capituli Generalis. Recursus tamen ad Sanctam Sedem, sive ad ejus Legatum non intelligimus in hac Constitutione prohiberi.

Extravagans I.

Monasteriorum negotia per Spulcates Procuratores tractanda.

§.309. Negotia & lites nostrorum Monasteriorum per sæculares Procuratores tractentur & agantur, in quantum melius fieri possit; quoniam causa & occasio magnæ distractionis existit, si secus factum fuerit.

Extravagans II.

A Monachis vero mandata Procure Sæcularium non accipienda.

§.310. Monachi nostri Ordinis non admittant mandata Procure sæcularium pro administrationibus vel contractibus, aliisve negotiis, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ.

Extravagans I.

§.312. Declaramus licitam esse nostris Monachis appellationem; dummodo non sit a correctione & disciplina regulari, juxta Regulam & Constitutiones; fiatque gradatim forma a Summis Pontificibus præscripta, videlicet a Priore ad Patrem Generalem; & præterea declaramus, appellationem ad Sanctam Sedem, sive ad Nuncium Apostolicum, in hac Constitutione nullatenus prohiberi.

Quomodo Monachus petmittatur appellatio.

Extravagans II.

§.313. Non adsint Judices appellationum; sed omnes recursus fiant ad Patrem Generalem, ut Paternitas sua sententiam ferat cum

Recursus ad P. Generalem faciendi.

M

con;

consilio aliquorum Monachorum discretio- rum, Graduatorum Religionis in casibus ar- duis.

CONSTITUTIO LVIII.

De panis contra illos, qui obtinent favorem a Personis potentibus pro obtinendis officiis in Ordine, & pro remissione penitentiarum.

§.314. Qui pro Prioris electione, vel aliqua Monasterii ordinatione Potentes adeunt, & eorum auxilia implorant, a Domibus propriis eliminantur, non nisi per Generale Capitulum reverturi. Ille vero, pro quo petitio facta fuit, si de ejus consensu emanaverit, in ipsa Domo per electionem aut provisionem ad Prioratum, vel illud officium, pro quo inter- venerit petitio, nullatenus assumatur.

Extravagans unica.

§.315. Nullus Monachus nostri Ordinis audeat procurare favorem intercessionem aut auxilium a Personis potentibus, nec ab aliquibus aliis extra Ordinem directe vel in- directe, ut eligatur in Priorem, vel sibi remittantur poenitentiae impositae ab Ordine, sub poena privationis vocis activae & passivae: quod postquam fuit dispositum ab Ordine, & confirmatum per Bullam Apostolicam. Et hujusmodi privatio vocis activae & passivae du- ret per quadriennium.

CONSTITUTIO LIX.

De panis contra illos, qui obtinent favores, aut minas in damnum Ordinis.

§.316. Nullus Ordinis nostri Conventus, aut singularis Persona contra Priorem, Mo- nachum, aut Monachos suae vel alterius Do- mus, in derogationem ejusdem Ordinis, aut quodvis impedimentum alicujus nostrae Ge- neralis Constitutionis, seu Ordinationis, seu mandati Generalis Capituli vel privati, Pa- tris Generalis, Visitatorum Generalium vel specialium, vel eorum cujuslibet: vel ad im- petrandum vel impediendum in Ordine no- stro Prioratus, Vicariatus, vel aliud quodvis officium a Personis Ecclesiasticis vel Saecula- ribus, quae de Ordine nostro non existant; li- teras, preces, minas, defensionem, auxilium vel favorem per se vel per alium, quocumque quaesito colore audeat impetrare. Qui con- travenerit, si sit Conventus, eo ipso Mona- sterium Ecclesiastico subiaceat interdictio: si sit singularis Persona, eo ipso facto excom- municationis: & si sit in Sacris, etiam ab Or- diuibus & officiis suspensionis sententiam se- noverit incurrisse; quorum absolutionem, dispensationem, & habilitationem nostris Ge- nerali sive privato Capitulis, vel Patri Ge- nerali in eorum absentia, reservamus. Si Per- sona, cui Monachus exponit negotium suum non est talis conditionis, de qua praesumatur evenire aliquid damnum vel molestiam Do- mu vel Ordini, aut alijs Personis ejusdem, in

tali casu possit absolvi per Priorem cum con- sensu Deputatorum, vel majoris partis eorum. Prior autem in casu praedicto per Vicarium; Vicarius vero, absente Priore, per Confesso- rem a se electum cum praedictorum assensu, vel majoris partis eorum, absolvi possit. Ab- sentibus autem Deputatis poterit Prior vel Vicarius ad praedicta aliquos de Discretio- ribus Domus assumere. Cum autem, ut di- ximus, Monasterium fuerit interdictum, po- terunt hi, qui culpabiles non fuerint, extra Monasterium celebrare vel audire Divina.

CONSTITUTIO LX.

De jejunijs & abstinentiis Ordinis.

§.317. Ultra jejunia per Ecclesiam statuta, celebretur jejunium in Ordine nostro tempo- ribus infra scriptis, videlicet: In Adventu Domini: In secunda & tertia feria, post quin- quagesimam immediate sequentibus: In omni sexta feria. Et si Nativitas Domini occurrat in sexta feria, ab esu carniu abstinere de- bemus: & in Litiis ante Ascensionem se- cunda & quarta feria jejunamus; postquam autem in praedicta secunda feria secundum communem consuetudinem ova & lacticia manducare. Quarta vero feria supra dicta, cibis quadragesimalibus reficiamur. Simili- ter in vigiliis Nativitatis & Purificationis Beatae Virginis jejunamus. Possit tamen qui- libet Prior circa hujusmodi abstinentias ex causa, quae sibi rationabilis videatur, cum Personis debilibus vel infirmis suo arbitrio dispensare, Itinerantes autem, cum sibi visum fuerit expedire, ad horum jejuniorum obser- vantiam non ardeant.

Tempora je- junii.

Qui dispen- sandi, & a quo.

Extravagans I.

§.318. Vigilia nostri Patris S. Hieronymi jejunetur in Vigilia Sancti Michaelis Arcan- geli, nisi dictum festum S. Michaelis feria sexta occurrat.

Alii jejunii dies.

Extravagans II.

§.319. Juxta inviolabilem consuetudinem nostri Ordinis, feria sexta in Parasceve in pane & aqua jejunetur. Praeterea vigilia Cor- poris Domini ob devotionem & magnitudi- nem tantae Festivitatis inter jejunia nostri Or- dinis computetur & observetur: Prout etiam vigilia Conceptionis Beatissimae Virginis. Ex eadem etiam consuetudine quarta feria iisdem cibis, quibus Sabatho, & consuetudine His- paniae vesci possumus; & similiter die Natalis Domini, cum occurrit feria sexta.

Extravagans III.

§.320. Monachi non comedant carnes fe- ria quarta sine gravi necessitate, aut de licen- tia Prioris, quod strictissime monemus ser- vari extra Monasteria ob bonum exemplum saecularibus exhibendum.

CON-

CONSTITUTIO LXI.

Quod Saeculares non manducent in nostris Refectoriis.

§.321. Ad comedendum in Refectorio cum nostris Monachis non recipiantur Saeculares Personae, in quantum commode po- terit observari. Ad hoc tamen Monasterium de Guadalupe non plus ardeatur, quam arctari solebat.

Extravagans I.

§.322. Non recipiantur aliqui Saecularis intra Claustra ad dormiendum, neque ad co- medendum, salvo tamen in Refectorio.

Extravagans II.

§.323. Nullus Prior aut Vicarius, nec ali- quis alius deducat ad recreationem in Gran- ciis aliquem Saecularem, nisi cum consilio De- putatorum ob aliquam causam valde justam videatur aliter esse faciendum.

CONSTITUTIO LXII.

De Anniversariis, quae celebrari debent in quo- libet anno.

§.324. Pro cunctis Monachis nostris De- functis una Missa de Requiem Conventualis cum vigilia trium lectionum in die praede- denti, in singulis nostris Monasteriis celebretur quolibet anno prima die post octavam Na- talis Beati Patris nostri Hieronymi; eadem quoque prima die, vel quam cito commode poterunt, omnes Priores & Monachi Presby- teri celebrent singulas Missas de Requiem, cae- teri autem Monachi Clerici dicant semel per- fecte horas defunctorum, Fratres vero Laici dicant quilibet centies Pater Noster & Ave- Maria cum Requiem aeternam in fine cujus- libet Ave Maria. Si tamen Fratres Laici sciverint, sufficere eis horas defunctorum di- cere.

CONSTITUTIO LXIII.

De Officio, quod fieri debet pro Religiosis Defunctis.

§.325. Officium autem Defunctorum Prio- rum & Monachorum nostri Ordinis in singulis nostris Monasteriis fiat modo sequenti, vi- delicet: die sui transitus & sepulturae fiant Officium & recommendationes, ac singula alia, ut in nostro Romano Breviario continetur. Item die 7. 30. & sine anni statim post Vesp- eras diei praecedentis cantetur vigilia trium- lectionum cum psalmis assignatis pro die se- quenti, in quo quidem die illico post primam celebretur Conventualis Missa de Requiem. A die vero sepulturae usque ad diem septi- mum inclusive tam post Conventualem Mis- sam quam post Vesperas cantetur per Conven- tum unum Responsorium Defunctorum cum

Orationibus competentibus, eundo cum Cruce & Aqua Benedicta super sepulchrum Defun- cti, exceptis diebus festis colendis, in quibus post primas Vesperas & Missam non cantetur. In die autem 30., & in fine anni unum dum- taxat Responsorium post Missam cantetur cum Orationibus competentibus super ejus tumulum, ut praemittitur, exeundo. Caeterum Monachi Presbyteri dicant singulas Missas de Requiem in quolibet dictorum quatuor dierum. Dicant etiam infra praedictum an- num alias quatuor Missas ad placitum cum competentem Collecta Defunctorum. Monachi autem Clerici, qui non sunt Presbyteri, sin- gulis praedictis quatuor diebus dicant unum Nocturnum Defunctorum cum suis Vesperis & Laudibus. Praedictum etiam Nocturnum cum Vesperis & Laudibus dicant quater infra eundem annum, quando sibi placuerit. Laici vero in die sepulturae dicant quinquaginta- Pater Noster; Item in qualibet die praedicto- rum, qua celebrabitur Missa Conventualis praedicta, viginti Pater Noster dicant. Item in singulis diebus vigiliarum supra scriptis di- cant quindecim Pater Noster. Item loco cu- juslibet dictarum octo Missarum per Mona- chos Presbyteros dicendarum dicant viginti Pater Noster. Praeterea in fine cujuslibet Pa- ter Noster omnium praedictorum dicant Ave Maria cum Requiem aeternam. Sane omnia, & singula supra dicta singulis praedictis diebus, aut quam citius commodius poterunt, omnes & singuli Monachi dicant. Verumtamen si Fratres Laici sciverint, & voluerint potius horas Defunctorum, quam praedicta Pater Noster & Ave Maria dicere, dicant eas, quem- admodum Monachi Clerici, ut praemitti- tur, dicere illas debent. Cum vero aliquis Pa- ter Generalis fuerit defunctus, in quolibet Monasterio nostri Ordinis dicatur pro eo vi- gilia trium lectionum & Missa Conventualis, & quilibet Presbyter celebret octo Missas. Monachi autem Clerici pro quolibet octo Missarum dicant unum Nocturnum Defunctorum cum suis Vesperis & Laudibus. Laici vero dicant pro vigilia Conventuali quindecim, & pro Missa Conventuali viceffies Pa- ter Noster cum Ave Maria & Requiem aeternam. Item pro quolibet Novitio vel Donato defuncto Ordinis nostri fiat ad dispositionem Prioris.

Extravagans I.

§.326. In quolibet ex nostris Monasteriis assignetur locus specialis, in quo solum Re- ligiosi, & nullae aliae Personae sepeliantur.

Sepultura pro Monachis tantum assignanda.

Extravagans II.

§.327. Quando aliquis Prior, professus al- terius Monasterii, durante suo Prioratu mor- tuus fuerit, celebrentur pro eo Missae & alia suffragia, quae celebrantur pro Professis ejus- dem Monasterii, cujus est Prior; per hoc ta- men non amittat sui proprii Monasterii Mis- sas & suffragia, sicuti mandat Constitutio.

Qui de Prio- re obiente, qui sit Mon- asterii alterius Professus.

Extravagans III.

§. 328. Juxta usum Ordinis Monachi Hospites in aliis Monasteriis nostri Ordinis extra propria degentes, celebrare teneantur unicam Missam pro singulis Monachis dictorum Monasteriorum, qui e vita decesserint; e converso pariter singuli Monachi dictorum Monasteriorum, ubi Hospites commorantur, singulas Missas celebrare teneantur pro hujusmodi Monachis Hospitibus; Si vero non fuerint Sacerdotes ad Missam æquivalentiam dicendam Monachi teneantur. Præterea in omnibus Monasteriis dicantur omnes Missæ Confraternitatum, quas habent tam cum suis Monachis quam cum aliis Monasteriis, pro Monachis præsentibus & absentibus; itaut Monachi absentes ad nullam Missam celebrandam teneantur, sed a Monasteriis pro dictis absentibus & impeditis suppleantur & celebrentur, juxta hujusmodi suffragia detineantur, cum Monachus aliquis ex hac vitamigraverit, Vicarius alterve Monachus de hoc curam gerens, juxta dictam consuetudinem, intra tres dies Monasteriis, Confraternitatem habentibus, per certum nuncium obitum dicti Monachi notificare teneatur.

Extravagans IV.

§. 329. Quilibet Monachus, Sanctissimum Viaticum in extremis recepturus, omnium eorum, quæ ad proprium usum sibi conceduntur, totalem prius faciat abnegationem jam diu in nostro Ordine consuetam, Clavibus Cellæ Prioris, vel eo absente, Vicario coassignatis; Si vero, absente Priore, Monachus e vita migraverit, Vicarius, nisi de licentia Prioris de his, quæ habuerit, nullatenus disponere valeat. Ea vero secundum consuetudinem singulorum Monasteriorum distribuantur.

CONSTITUTIO LXIV.

Quod non acceptetur exequio Testamenti sine licentia.

§. 330. Quisquam Prior, seu Monachus aliquis Ordinis nostri nullatenus possit acceptare executionem aliquam cujuslibet Testamenti, vel ultimæ voluntatis absque speciali Generalis Capituli, aut Patris Generalis licentia. Quam quidem licentiam, si contingat eundem Patrem Generalem importunitate petentium, seu alia ratione, alicui Priori vel Monacho concedere; nihilominus talis Prior vel Monachus executionem hujusmodi non exceptet, nisi verisimiliter crediderit, quod ex hujusmodi exceptione poterit obsequium Deo præstare, bonumque dare exemplum fidelibus de se ipso. Ipse etiam Pater Generalis similiter executionem hujusmodi non exceptet sine speciali licentia Generalis Capituli vel privati, seu alicujus de pro privato Capitulo assignatis; super quo eorum conscientias oneramus.

CONSTITUTIO LXV.

Quod non acceptetur Commissio, nisi fuerit Apostolica, neque arbitratio inter partes, sine licentia.

§. 331. Aliquis Prior vel Monachus Ordinis nostri Commissionem aliquam a quocumque Prælate vel Principe emanatam, excepto dumtaxat Domino Nostro Papa, non valeat acceptare. Similiter nec Arbitria per compromissum vel alias sine speciali licentia Patris Generalis; nisi talia sint, quæ faciliter & in brevi, atque sine juris aliqua disceptatione, valeant terminari. Illa præsertim valeat abique licentia acceptare, quæ inter pauperes & miserabiles Personas fore contigerit, nec ultra decem dies extra sua Claustra propter hujusmodi arbitria vel abstrationes aliquatenus demoretur. Idem quoque Pater Generalis hujusmodi Commissiones vel Arbitria non acceptet sine speciali licentia Generalis Capituli, vel alicujus de illis pro privato Capitulo assignatis; nisi in casibus superius exceptis.

CONSTITUTIO LXVI.

Cujus Sumptibus teneri & custodiri debeant Monachi fugitivi.

§. 332. Quilibet Prior vel Conventus Ordinis nostri, qui Monachos nostros aliquos fugitivos ceperint, seu capi fecerint, eos detineant sub diligenti custodia in Monasteriis suis, & quam cito potuerint, id notificent per certum nuntium eorum Prioribus, sumptibus & expensis Monasteriorum, quorum fugitivi hujusmodi sunt professi. Ipsi quoque Priores sine aliqua dilatione mittant pro eis, & faciant illos captos ad Monasteria sua redire. Interim vero in eisdem Monasteriis, ubi sunt carceri mancipati, sub custodia diligenti, ut præmittitur, teneantur, usque dum mittant pro eis & ad propria Monasteria reducantur. Expensas quoque, quas iidem capientes fecerint in captione prædictorum, jam dicti Priores & Domus fugitivorum capientibus eisdem una cum sumptibus nunciorum solvere teneantur.

CONSTITUTIO LXVII.

De Pena contra illos, qui dixerint verba injuriosa Ministris Ordinis.

§. 333. Nullus Monachus Ordinis nostri in electione seu confirmatione cujuscumque Prioratus cujuslibet Monasterii contra Confirmatores seu Scrutatores electionis ejusdem audeat verba comminatoria vel irreligiosa proferre, ut iidem Confirmatores vel Scrutatores potestatem sibi commissam, aut officium minus libere valeant exercere. Qui contra fecerit, ipso facto careat voce Capituli, donec per Generale Capitulum restituatur, & nihilominus ad Confirmatorum arbitrium puniatur. Eadem quoque poena puniatur qui-

quilibet Scrutator vel Confirmator, qui in prædictis verbis contra quemlibet eligentiam excesserit.

CONSTITUTIO LXVIII.

De forma Visitationis Generalis nostrorum Monasteriorum.

Monasteria quolibet triennio generaliter visitanda.

Que Visitationi præmittenda.

De juramento.

De Testibus.

§. 334. Ob statum nostri Ordinis in Sancta Religione salubriter conservandum omnia nostra Monasteria semel infra quodlibet triennium generaliter volumus visitari. Porro quia ex eo, quod visitationes nec studiose fiunt, nec bene observantur, magna Ordinis dissolutio sequitur, Visitatoribus districtè injungimus, ut in visitationibus solliciti sint & studiosi, & formam sibi de faciendâ visitatione traditam nulla transgrediantur ex parte; alioquin prout culpa exegerit per Generale Capitulum legitime punientur. Priore igitur & Monachis visitandi Monasterii ad cimbali signum in Capitulo congregatis, præmissa Oratione, quæ in forma seu Capitulo electionis inferius annotatur, unus Visitatorum aliquam de observantia Religionis & de obedientia proprii Pastoris atque reverentia, prout Dominus dederit, exhortationem proponat: lecta deinde præsentis forma visitationis, ipsi Visitatores Priori ac Monachis Dei ac Capituli Generalis auctoritate præcipiant, ut eorum singuli de Priore, & de se ipsis ad invicem, ac de statu Domus, quicquid super his, de quibus interrogati fuerint, accusatione dignum vel emendatione cognoverint, sincere sibi notificent: nullatenus amore vel odio seu timore cuiusquam, aliave qualicumque occasione, veritate suppressa; ne si secus egerint, eum grandi etiam suarum periculo animarum gravem incurrant Ordinis disciplinam. Verumtamen in Conventu seu palam nulli crimen imponant, quod probari non possit; ne poena, qua teneretur delatus, si convinceretur de crimine, in probatione deficientes involvat. Eadem quoque Prior eorum sua auctoritate eis præcipiat. Sciendum vero, quod cum fiunt visitationes per Ordinem, in inquisitione sive probatione culparum præceptum obedientiæ pro juramento habetur. Possunt tamen Visitatores, si eis videbitur, in gravibus casibus pro revelanda certius & plenius veritate sub poena excommunicationis præcipere, ac etiam exigere juramentum. Præcipiant quoque ipsis, ne conventicula, congregationes, sive confabulationes super visitationis facto faciant vel pertractent; se videlicet invicem inducendo, quod in ipsius visitationis negotio falsum proferant, aut veritatem subiceant. Deinde carta proxime Visitatorum præcedentium allata, & coram omnibus lecta, Prior & Monachi ad ea, quæ unicuique imminent faciendâ secedant. Porro in visitatione de Monachis Clericis & Fratibus Conversis, per Monachos Clericos & Fratres Conversos inquisitio fiat. Possunt tamen Sæculares etiam, si sint idonei, in testimonium recipi, si quid probatione indiget, & per nostros probari non potest. At vero Visitatores non facile cre-

dant omni spiritui, nec aliquem ex sola suspitione seu præsumptione condemnent. Summa vero cum diligentia in primis super passionibus vel promissionibus, quas Priores vel Monachi, visitationem timentes, a Fratibus suis interdum extorquent, secreto singulos perferuntur; quas factas repererint, solvant; & Prior vel Monachus in tali culpa deprehensus ad ipsorum arbitrium graviter puniatur. Attente quoque inquirent, si visitatio proxime præterita bene fuerit observata, & quem culpabilem in non servando invenerint, sive sit Prælati sive subditi, gravi animadversione castigent. Attente etiam & solcite, non obstante aliqua benevolentia, quæ in subversionem Ordinis aliquando exhibetur, diligenter de negligentia Priorum inquirent, videlicet: Si sine Personarum acceptione puniunt negligentias & excessus: Si sint carnales vel nimium Sæculares: Si dant exemplum subditis in frequentando Ecclesiam, in abstinentiis, & aliis observantiis Ordinis: Si Statuta Capituli Generalis faciunt observari, per ipsos enim in Monasteriis viget Ordo, vel deficit: Si extra Monasteria solent frequenter exire: Si in regimine Domus tam in spiritualibus quam in temporalibus sint solliciti & discreti; & ea, quæ correctione digna perpenderit in sua scriptura secreta conscribant.

Postea interrogent de pace Domus, videlicet, Prioris cum Monachis, & Monachorum ad invicem: Si pacem non esse invenerint, cum omni studio causam inquirent, eaque cognita, qui fuerint in culpa legitime puniantur. Exinde ipsorum quilibet interrogetur, qualiter se Monachi in observantiis Ordinis habent, scilicet: In non habendo proprium: In continentia, & in propriis Pastoris obedientia: In ejusdem suaque ad invicem reverentia: In servando silentio horis & temporibus constitutis: In debitis abstinentiis: In veniendo ad Ecclesiam: Si Presbyteri crebro celebrant: Si sine murmure, quæ sibi de Domino ministrantur, accipiunt, eis contenti: Si appetendo inordinatas licentias sibi cavent: Si in mutuis colloquiis, aut cum Hospitibus seu Sæcularibus vel aliis Personis quibuslibet Religionis debitam custodiunt honestatem. Demum si curiositatem vitant: Si laudabiliter culpas in Capitulo vel alibi confitentur: Si in reprehensione sunt humiles, & in emendatione tractabiles, est solcite perquirendum. Pro temporalium quoque statum cognoscendo: An Domus gravata sit debitis, & quantum; non tamen cui vel quibus specialiter debeat; nec si quid quantumve in depositis habeat; aut a quibus deposita susceperit, est diligentius inquirendum. Si igitur Domus debitis inveniatur gravata, nulla causa rationabili apparente, quæ Priorem excuset, in ipsum culpa redundet. Super omnibus præmissis sigillatim a singulis Monachis, tam de Priore quam de se ipsis ad invicem, est cum omni studio faciendâ inquisitio. Sed & si quis Monachorum in Priore, vel in aliquo alio de Congregatione crimen, vel aliquid aliud, quod dignum sit emendatione vel accusatione, cognoverit, etiam non interrogatus illud Visitatoribus insinuare teneatur; non tamen

Que inquitenda.

in